



9252.

11

27

DE  
FIDE SPONSALITIA  
DISSERTATIO

1782 3

QVAM  
PRAESIDE  
D. ERNESTO GODOFR. CHRISTIANO  
K L V E G E L

IVR. SAX. P. P. O. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE  
INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLTATIS IVRIDICAE  
WITTENB. ASSESSORE

A. DIE XI. CAL. OCTOBR. C1D1CCCLXXXII.  
IN AVDITORIO MAIORI  
ERVDTORVM CENSURAE SVBMITTIT

AVCTOR  
TRAVGOTT FRIDERICVS GENSIKEN  
HVBERTIVRGO-MISNICVS



WITTENBERGAE  
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII



DE  
FIDE SPONSALITIA

DISSERTATIO

D. ERNESTO GODOFR. CHRISTIANO

R. L. V. G. E. L.

IVR. CAE. P. R. O. IUDICI PROVINCIALIS IN BRASILIAE  
INFERIORIS MARCHIONATV ET FACULTATIS IURIDICAE  
WITTEBERG. A.S.S.E.S.S.O.R.E

A. DE XI. CAL. OCTOB. MDCCCLXXII.

TRAVGOTT FRIEDERICVS GENSIKIN

ACTOR

WITTEBERGAE

WITTEBERGAE

WITTEBERGAE  
CITATEIS CAROLI CHRISTIANI DUBBI



V I R O  
PRAENOBILISSIMO AMPLISSIMO  
CONSULTISSIMO  
IOANNI GOTHOFREDO HVNGER  
SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS  
COLLEGII QVOD REDITVS CVRAT SVPREMI  
SECRETARIO INTIMO

AVVNCVLO ET PATRONO OPTIMO

SACRVM

V I R O  
TRAE NOBILISSIMO AMPLISSIMO  
CONSULTISSIMO  
IOANNI GOTHOFREDO HUNGER  
SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS  
COLLEGI QVOD REDIVS CVRAT SVPRIMI  
SECRETARIO INTIMO

AVVINCULO ET PATRONO OPTIMO  
SACRAM



DISSERTATIO  
DE  
FIDE SPONSALITIA.

**B**ene CICERO in *Lib. 1. de Offic.* summam ac fundamentum iustitiae in fide, hoc est, dictorum ac conuentorum constantia et veritate collocat, atque sic, ni mea fallit coniectura, conuenit cum hoc CICERONIS illud HORATII:

*— iustitiae soror  
Incorrupta fides. —*

Magna certe et incredibilis fere fidei apud Romanos fuit sanctitas, adeo, vt DIONYSIVS in *Antiqq. Rom. L. 2. c. 75.* referat, suam cuique fidem iusiurandum fuisse maximum, omnique testimonio validius. Occurrit mihi, quod LIVIVS in *Lib. 1. c. 21.* ait, fidem ciuitatem gubernasse. Et insigniter quidem publicae interest utilitatis, fraudes et fallacias in negotiis



impediri, dexteritatem vero et fidem, in obseruandis promissis necessariam, firmam reddi ac constantem. Nulla enim profecto res, CICE-  
RONE iudice, vehementius reipublicam continet, quam fides. Vete-  
res igitur Legislatores ac ICTI laudabilem omnino operam in eo posuere,  
vt ciuium animos dictorum conuentorumque constantiae ac veritati adfue-  
facerent. Graue, ait VLPIANVS in *L. 1. D. de Pec. Const.* graue est,  
fidem fallere. Violata etiam fides satis Deum habet vltorem. *L. 2. C. de  
Reb. Cred.* Quid vero? num, quaeso, quid grauius, num quid turpius,  
honestatique publicae magis perniciosum esse potest, quam fidem de ma-  
trimonio consummando datam deserere, suaeque deesse promissioni?  
Conuenit enim aequitati, vt fides seruetur, pacta adimpleantur, et pro-  
missa praestentur, idque maxime in matrimonii sponcione. Nam verum  
profecto est illud Ouidianum:

*Fallere credentem non est operosa puellam  
Gloria, — — — —*

Magna quoque inter desponsatos intercedit obligatio, cuius intuitu etiam  
pro nuptis et maritis habentur in *L. 5. C. de bon. quae. lib.* Nexus, quo  
hi sibi coniunguntur, sanctus est ac inuiolabilis. Quodsi igitur tibi sele-  
geris sponfam, non debet, quae semel placuit, amplius displicere. *c.  
quod semel de Reg. iur. in 6to.* Apposite, quod hic conuertere possumus,  
NICOLAUS Papa in *c. 4. c. 20. qu. 3.* scribit: *quod quis non eligit,  
nec optat, profecto non diligit: quod autem non diligit, facile contemnit:  
nullum quippe bonum, nisi voluntarium.*

Audiamus vero, (citatori enim iam cursu defugiendum est ad pro-  
positam quaestionem) audiamus VLPIANVM in *L. 13. §. 3. D. ad leg.  
Iul. de adult.* ita dicentem: *spem matrimonii violare non permittitur.* Et  
illum, qui fidem violat sponsalitiã, tanquam perfidiae reum in insulam  
relegari iussit CONSTANTINVS in *L. 4. Cod. Theod. de spons.* Iustae  
igitur ICTIS Romanorum hoc nomine tribuendae sunt laudes, quod omnem  
materiam de sponsalibus, eorumque vi, qua quippe alter alteri ad matri-  
monium consummandum obligatur, magna cum diligentia fecerint planif-  
simam. Intelligimus vero valida tantummodo ac legitima sponsalia, omni-  
etiam, quod fere nullum in foris protestantium vsum praestat, discrimine  
sponsalium de praesenti ac futuro relicto.

Iam



Iam vero obligationem sponsalium, secundum ius naturale considerandam, ad regulam pactorum conformare debemus. Scilicet ius naturae, diuina quadam prouidentia constitutum, omnes sponsalium sollemnitates ac caerimonias nuptiales ignorat, et in nudo solum pacto fundamentum eorum collocat. Obiter igitur hic refellendus est vulgaris eorum error, qui fundamentum obligationis sponsalitia in ipsius negotii sanctitate ponunt. Etenim sponsalia in nudis conuentionis terminis subsistunt, et hinc nullam arctiorem perfectioremque obligationem, quam aliud honestum pactum, producere possunt. Pactum inter desponsatos initum solummodo efficit, ut fidei semel de matrimonio consummando datae poenitere non liceat. Certissimum vero est, iure naturae illum, qui sponsalia contrahit, ad perficiendum teneri matrimonium, quia ex nudo iustoque contrahentium pacto naturalis nascitur obligatio. *L. 95. §. 4. D. de Solut.* Sed ius naturale, cum, neglectis sponsalium caerimoniis et sollemnitatibus, solum animorum voluntatumque consensionem ad illa rite constituenda necessariam habeat, omne ideo discrimen inter sponsalia publica et clandestina ignorat, et sponsalibus, iure ciuili ob defectum sollemnitatis omni vi ac efficacia destitutis, obligationem tribuit perfectam. Quodsi igitur quis amoris fortasse, quem retinere perfectae solum philosophiae est, secundum dictum Imperatoris in *Novell. 74. cap. 4.* impetu ductus, ommissa caerimoniarum pompa, in legibus praescripta, sponsalia celebravit, iure naturae quidem ad fidem suam custodiendam, promissionemque adimpleendam tenetur. Sed aliter iuris naturae Doctores, aliter legum interpretes disputant. Quam angusta, *SENECA* inquit, *de Ira Lib. 2. cap. 27.* innocentia est, ad legem bonum esse. Scilicet verum est, quod *HORATIUS* *Ep. 1. 16.* scribit:

*Oderunt peccare boni virtutis amore.  
Tu nihil admittes in te formidine poenae.*

Hinc saepe, proh dolor! ut *OVIDIUS* ait:

— — *credulitas damno solet esse puellis  
Verbaque dicuntur nostra carere fide.*

Quod ad ius diuinum reuelatum attinet, expressa licet sanctio de fide sponsaliorum seruanda ibi non inueniatur, id tamen certum est, Deum voluisse, fidem de matrimonio ineundo datam omni modo sanctissime seruari.

feruari. Scimus ex sacris tabulis, sponfam, quae concumbendo cum alio fidem violauerat sponso datam, ex vrbeeductam lapidibus interfectam fuisse.

Sed haec de iure diuino. Veniamus nunc ad iura humana, visuri, quatenus et quanta haec fuerit iure Romano sponsalium rite initorum vis ac efficacia. Hic autem paulo latius exspatiari, et ad originem sponsalium, quatenus ex hoc iure sunt explicanda, descendere debemus. Nimirum ostendit nobis FLORENTINVS in *L. 1. D. de spons.* apud Romanos sponsalia per sollemnem stipulationem celebrata fuisse. Ita enim nobis illa describit, vt sint mentio (*id est, interrogatio sollemnis*) et re-promissio, (*id est, sponso sollemnis*) futurarum nuptiarum. Hunc sequitur VLPIANVS in *L. 2. D. eod.* inquit: *sponsalia dicta sunt a spondendo: nam moris fuit veteribus stipulari, et spondere sibi uxores futuras.* Adiungam his PLAVTVM in *Aul. act. 2. sc. 2. v. 77 sqq.* vbi Megadorus ab Euclione filiam sibi sponfam stipulatur ita: *Quid nunc? etiam mihi despondes filiam? spondeo, inquit, Euclio.* Videas, si libet, BRISSONIVM de *Form. et sollemn. pop. Rom. L. 6.* qui multas huius rei exhibet formulas. Etenim plura exempla commemorare nec vacat, nec opus est. Spondendi quidem vocem, a qua ipsa nomen sponsalium ductum est, vtitam fuisse in stipulationibus, patet ex *§. 1. §. 7. de V. O. L. 7. D. de V. S. L. 1. §. 7. D. de Obl. et act.* Quam validam vero obligationem Romani stipulationibus tribuerint, satis notum est. Omne enim factum honestum in stipulationem deduci poterat, cui actionem aliquam ad implendam promissi fidem dedisse Romanos ex *pr. 1. de V. O. et L. 27. C. de passis.* est manifestum. Neque etiam in stipulationibus poenitentiae dabatur locus, sed obligatio praecise erat praestanda. Et quem in finem tot sollemnitates desponsaturis obseruandae erant inuentae, nisi in eum, vt sponsalia redderentur satis tuta? Quodsi igitur quis ita sibi, vt dictum est, uxorem desponderat futuram, obligabatur is ad matrimonium, vel tempore conuento, vel si illud adiectum non erat, sine mora consummandum. Data autem fuit desponsato aduersus alterum, fidem a se datam adimplere vel recusantem, vel certe moram committentem, actio illa notissima ex sponso, vt vel nuptiae sequerentur, vel omne praestaretur interesse. Quam quidem actionem GELLIVS *Nostr. Att. L. 4. c. 4.* optime describit. Placet hic verba SVLPITII in libro de dotibus posita, et a GELLIO excerpta atque conseruata addere: *Si post eas stipulationes* (haec

(haec pauca enim verba huc tantummodo pertinent) *uxor non dabatur, aut non ducebatur: qui stipulabatur, ex sponſu agebat: iudices cognoscunt.* Quod actionis nomen, ex sponſu videlicet, quamuis ab ICtis Romanis temporum inſequentium uſurpatum non videatur, eo tamen ut hodie utamur, nihil eſt, quod impediatur, praepriis, cum, quae apud Romanos ſtipulatione interueniente rata erant, hodie ex nudo quoque et plane non ſollemni pacto deſcendentia firma ſint atque legitima, eamque ob cauſam pactum ſponſalium nobis eoſdem, quos ſtipulatio ſponſalitia priſcis Latii incolis, (de his enim proprie Sulpitii verba ſunt concepta) producere debeat effectus. Poſteſt etiam condictio ex ſponſalibus nominari, ſiquidem ex quouis licito pacto, niſi contractui adiectum ſit, datur condictio, et in omnibus condictionibus, fieri aliquid aut dari nobis ab altero, poſtulamur, quae forma etiam tunc, eum agimus ex ſponſalibus initis, in concipienda petitione eſt obſeruanda. In huius igitur actionis natura ac indole inueſtiganda, relictiſ omnibus, quae de ea in medium ex antiquitatibus potuiſſent fortalle proferri, erimus occupati. Ne vero quem turbet huius actionis denominatio, meminiſſe oportet, ſponſum ſive ſponſionem idem ac promiſſionem in ſtipulationibus fuiſſe, verbumque ſpondere in hoc contractu ſollemne. *L. 19. §. 2. D. de aedil. edict.* Minus recte autem eam vocat actionem matrimonialem BERGERVS *de uſ. act. P. 1. §. 7.* Nonnunquam enim ea non ad conſummationem matrimonii, ſed ad intereſſe praeſtandum ſolummodo inſtituitur. Cuius rei nonnulla poſtremo exempla exhibet LEYSERVS in *medit. ad Pand. ſp. 293. m. 2.* quae huc tranſcribere ſuperfluum duco. Neque vero hoc naturae huius actionis aduerſatur. Ipla forma eius iudicii, cuius memoriam conſeruauit GELLIVS, et cuius ſupra mentionem inieci, eam petitionem legitimam fuiſſe, indicat. Pergit enim *loc. laud. GELLIVS: ſi nihil iuſtae cauſae videbatur*, (cohaerent nempe haec verba cum antecedentibus) *litem pecunia aeſtimabat: quantique interſuerat, eam uxorem accipi aut dari, eum, qui ſponſonderat, aut qui ſtipulatus erat, condemnabat.* Prima omnium quaerſtio, quae, ut huius actionis ratione paulo ſtudioſius excutiatur, digna eſt, haec erit: licetne ſtatim poſt ſponſalia hanc actionem inſtituere? an vero poſt interuallum cogi demum quis poſteſt ad matrimonium conſummandum? In qua quidem re proponenda ac inquirenda, bene noui, doctorem diſcordiam haud deſiderari. De qua nunc pauca delibanda ſunt. Illam enim rem ideo vix putarem a poſtulo meo

alienam, quia hoc modo ipsa huius actionis indoles fiet ad intelligendum  
facilior. Scilicet in *L. 2. C. de spons. Impp. CONSTANTINVS* et  
*CONSTANS* ita rescripserunt: *si is, qui puellam suis nuptiis potius est,*  
*intra biennium exequi nuptias superfederit, eiusque spatii sine decursa, in*  
*alterius postea coniunctionem puella pervenerit, nihil fraudis ei sit, quae*  
*nuptias maturando vota sua diutius eludi non passa est.* Cui adiungere  
consultum videtur *L. 17. D. de sponsi* quae etiam clementiae doctorum an-  
sam praebere videtur. In quibus legibus, inprimis in *L. 2. C. de spons.*  
firmum sibi inuenisse videntur praesidium doctores, qui ante biennium  
ad nuptias neminem, hac actione cogi posse contendunt. Arridet haec  
opinio inprimis *LEYSERO* in *medit. ad Pand. sp. 293. m. 8.* qui tamen  
saepe legibus Romanis parum vel nihil tribuit. Sed impetrare a me non  
possum, ut his interpretum scriptis fidem tribuam. Falluntur enim, si  
quid recte video, qui hanc amplectuntur sententiam, et ea verba, quae  
putant litem esse in suum commodum decisura, ipsis potius sunt contra-  
ria. Adcuratius enim inspectis verbis legis, quid sibi velint imperatores,  
nihil aliud inuenimus, nisi *CONSTANTINVM* et *CONSTANTEM*  
sponsae, ob sponsi moram, elapso biennio, ad alia sponsalia progredien-  
di potestatem tribuisse. Neque vero frustra trahimur in hanc legis inter-  
pretationem. Lex enim e lege est explicanda. Iam vero audiamus *CON-*  
*STANTINVM* in *L. 4. C. Theod. de Spons.* quae ita est concepta: *quod si*  
*patris nuptiis, transcurso biennio, qui puellam desponderit, alteri eandem*  
*sociauerit, in culpam sponsi potius, quam puellae referatur, nec quicquam*  
*noceat ei, qui post biennium puellam marito alteri tradiderit.* Similis fere  
consuetudo obseruata fuit apud quosdam veterum Germanorum populos,  
vbi sponsae, ob moram sponsi, quem per biennium frustra expectauerat,  
alii nubendi facultas erat permessa, *Leg. Langob. L. 2. T. 1.* nisi forsitan  
haec ipsa ex iure Romano, eoque Theodosiano, quod victores provin-  
ciarum olim Romanarum barbaros habuisse in deliciis notissimum est, de-  
sumta sunt. Et sic hodie quoque sponsam, ob moram sponsi, ne tempus  
nuptiis commodissimum praeterlabatur, a promissione sua recedere posse,  
volunt *BRÜCKNER* in *dec. iur. matr. p. 64.* et *DE ROHR* in *vollst.*  
*Obersächs. Kirchenrechte. L. 3. c. 1. §. 30.* Omnem vero intuitu propo-  
sitionis dubitandi causam aufert *L. 41. §. 1. D. de V. O.* vbi *VIL-*  
*LIANVS* ita: *quotiens autem in obligationibus dies non ponitur, prae-*  
*senti die pecunia debetur.* Et cum non maior sponsalibus vis tribui possit,  
quam

quam aliis obligationibus, merito haec lex totam litem dirimit atque componit. Cui addi etiam potest *L. 14. D. de R. I.* ex qua quippe, si nullum pacto contrahentium definitum fuit tempus celebrandis nuptiis, statim ad consummationem matrimonii sponsum compelli posse, luculenter argumentari licet. Nam, si tempus adiectum fuerit, neuter desponsatorum prius poterit agere ad celebrandum matrimonium, quam dies venerit, ut tunc demum quisque suo satisfaciat officio. *L. 46. D. de V. O. et 213. D. de V. S.* Qua quidem in re, quid usus ferat, nos docet KÜSTN. ad DEVL. p. 571. Tempus nempe, intra quod consummandae sint nuptiae, contrahentium arbitrio, et si alterutra pars in mora versetur, decitioni relinqui Consistorii, quod plerumque lapsum aliquorum mensium, pro rei indole ac natura, sufficere censeat. Hoc quoque testimonio suo confirmat HORNIVS in *addit. ad Schilter. p. 380.* et Vir Excell. C. G. HOMMELIVS in *princ. iur. eccl. prot. c. 17. §. 46.* Licet vero leges Romanae sponfis ob alterius eiusque praesentis moram facultatem post biennium a promissione recedendi, aptioremque nubendi conditionem quaerendi concesserint, absentem tamen sponsum per triennium expectare tenetur sponsa ex *L. 2. C. de repud.* Attamen non iniuste statuit CYPRAEVS in *tr. de iur. connub. c. 13. §. 70.* ulterius etiam et in longius tempus differendas esse nuptias, si longiores peregrinationes, quae ex necessitate fiunt, aut aliae iustae ac necessariae causae, veluti valetudo sponsi sponsaeue impedimento essent, quo minus nuptiae citius celebrari possent. Quae cum sit CAII doctrina in *L. 17. D. de Spons. eam* CYPRAEVS in viridi esse observantia merito arbitratur. Cum hoc consentit praeter alios BROVWER, qui, cum GROENEWEGEN in *tract. de LL. abrog. ad L. 2. C. de repud.* mallet observari spatium trium annorum, propterea ei se in *tract. de iure connub. L. 1. c. 25. n. 47. sqq.* ita opponit, ut opinionem suam variis et ad persuadendum apprime aptis argumentis corroboret. Inprimis prouocat ad *c. 5. X. de spons.* et, cum iuri canonico in doctrina de matrimonio maior tribuenda sit auctoritas, quam Romano, illi merito standum esse contendit.

Iam ad aliam veniamus quaestionem. Certum est, ut supra scriptum, sponsalia olim apud Romanos per stipulationem celebrata, firmam ideo protulisse obligationem et actionem ad promissi fidem observandam. Quamobrem, cum sponsalia apud Romanos infrequenti tempore non am-

plius per stipulationem, sed per nudum pactum celebrata fuerint, num perfecta adhuc manserit eorum obligatio, quaeritur. Refert enim Ictus noster sponfiones istas ad mores veterum in *L. 2. D. de Spons.* Et, paucis interiectis, in *L. 4. D. eod.* nudum consensum ad constituenda sponsalia sufficere ait. Nec non GELLIVS *L. 4. c. 4.* scripsit: *hoc ius sponsaliorum obseruatum dicit SERVIVS ad id tempus, quo ciuitas vniuerso Latino lege Iulia data est.* Confer etiam CYPRAEVUM in *tr. de iur. conub.* *L. 1. §. 3.* Et sic quidem putarem, obligationem sponsaliorum, cum simplici pacto ea iniri coeperint, magis imperfectam fuisse. Cum enim nuda pacta apud Romanos neminem obligarent, *L. 7. §. 4. D. de pactis.* PAVLI *recept. sent. L. 2. t. 14.* nescio, an mihi vitio hoc verti possit, quod in illam concedam sententiam. Cui quidem opinioni ansam quoque praebet *L. 6. D. de Spons.* vbi sponsalia per spem nuptiarum describuntur. Sed, o boni! quam anceps et lubrica est spes? Et num quae so ex spe ad rem speratam actio oriri potest? Profecto sponsalia hoc modo describi non potuissent, si eadem (*id est, perfecta*) iis mansisset obligatio. Nec silentio praetereundum est, quod Impp. DIOCLET. et MAXIM. in *L. 1. C. de spons.* rescribunt: *Alii desponsatae renunciare conditioni, et nubere alii non prohibentur.* Frequentissima iam iam fuit haec mala consuetudo apud Iudaeos, et deinde apud primos Christianos, quibus ob quaslibet fere causas fidem sponsalitiā frangere, sponsam dimittere, et repudium eligere erat permittum. Prolixius CYPRAEVUS *l. cit. c. 13. §. 8.* commemorat, eiusmodi renunciationem, illa aetate nemini quippe ignominiosam et indecoram, honestatis speciem habuisse, adeo, vt cuius nuncium remittere et sponsam contemnere impune licuerit. Quod autem ad Romanos, ea, quae scripsi, corroborantur exemplo Claudii, quem narrat SVETONIVS in vita eius *c. 26.* duas habuisse sponsas, et alteram ex causa haud satis probanda repudiasse. Sed deinde iustis terminis quodammodo circumscripta est haec licentia, constituta quippe poena quadrupli cum restitutione arrharum in eum, qui matrimonium consummandum temere recusabat, quod lege Iulia et Papia Poppaea iam sancitum esse, putauit GOTHOFREDVS in *Comm. ad Cod. Theod.* sed a Constantino demum BÖHMERS in *Iure ecclesiastico.* Quam vero poenam VALENTIN. et THEOD. paululum restringebant in *L. 6. C. Theod. de Spons.* LEO autem et ANTHEMIVS minuebant in *L. 5. Cod. Justin. de Spons.* Praeterea certae causae sunt constitutae, ob quas repudio solummodo

locus

locus concedebatur. cfr. BÖHMERS in *I. E. P. T. III. L. 4. t. 1. §. 156 sqq.* In Germania autem, cum eadem, quam olim stipulationes habebant, pactis nudis tribuatur vis atque efficacia, (elegans est diff. praecleari Icti Altorffenſis, HAMBERGERI *de usu pacti. et non usu stip. in iur. Germ. in opusc. p. 153.*) haec doctrina ad sponsalia etiam erit applicanda. Sponsalia rite contracta apud nos obligationem et actionem ad nuptias ineundas producunt. BERGER in *elect. proc. matr. Lipsiae 1745. 4.* Licet quidem, vti recte monuit LEYSERS in *medit. ad Pand. sp. 293. m. 1.* actionis ex sponſu nomen sit incognitum, res tamen et actio deprehenditur frequentissima. Maxime etiam conuenit sanae rationi, reuoluentem actione posse cogi ad faciendas nuptias, ne promissio sit sine obligatione, tanquam nux sine nucleo, et obligatio sine actione, tanquam apis sine aculeo. Et perfidia fortasse nostro saeculo aequè deprehenditur, quam olim PLAVTI, qui igitur querebatur: *nostra aetas non multum gerit fidei.* Deinde, cum vtriusque desponsati, ne nuptiae nimis differantur, multum, vti DE ROHR monet *l. cit. §. 29.* interesse possit, ex legibus prudenter contra morosum desponsatum legitima conceditur actio.

Liceat vero breuibus adhuc pauca e legibus Romanis delibare, vt clarius inde ac manifestius fiat, quam praeclearas veterum Romanorum Legislatorum dederint sanctiones de sponsaliorum obligatione ac efficacia. Notanda mihi igitur primo loco venit lex in iurisprudencia Romana omnium nobilissima, Lex Iulia et Papia Poppaea, in qua ita erat sancitum: *desponsam intra biennium domum ducito, si duxerit, praemiis maritorum ne fruitor.* Haec ipsa lex est, ad quam respexit DIO, narrans *Lib. 54.* Augustum, cum multos, desponsatione, cum impuberibus et connubio nondum apud inita, τὸ ἔργον τῶν γεγαμηκότων non complere vidisset, lege constituisse, nullam pactionem nuptialem ratam esse, vbi vltra biennium nuptiae essent differendae. Quam historiam etiam legimus in SVETONIO in *vit. Aug. c. 34.* Augustum nempe tempus sponsas habendi coartasse, iis sponsalibus solummodo probatis, quae intra biennium adhuc nuptiae sequerentur. Quam vero sanctionem vsu non fuisse obseruatam, patet ex *L. 9. et 14. D. de spons.* Conferri hic possunt, quae scripsit Praeceptor meus, et magnum nostrae Academiae decus, Ill. WIESANDVS in *obseruat. iur. Rom. et Sax. in opusc. p. 36.*

Sed haud erit inutile et a proposito meo alienum, diuersi generis iura inter se conferre, ac diuersarum gentium mores et consuetudines simul contemplari. Germanicae nationes, (vt iam ad has transeam) apud quas non solum antiquioribus sed et insequentibus temporibus sponsalia rite contracta indissolubilia fuere, pro fide sua, qua omnes, vt TACITVS ait, superabant gentes, pacto stare sponsalitiū quemque iubebant. Vetitum apud eos et prohibitum erat, ne quis sponsam suam dimitteret. De his extat memorabilis locus in *LL. Baju. Tit. 7. c. 15. si quis liber, postquam sponsauerit alicuius filiam legitime, sicut lex est, et eam dimiserit, et contra legem aliam duxerit, cum viginti quatuor solidis componat parentibus, et iuret, vt non propter inuidiam parentum, sed amorem alterius alteram duxerit.* Eiusmodi quoque sanctio reprehenditur in *LL. Alamann. T. 53.* vbi eum, qui sponsam suam dimiserat, aliamque duxerat, quadraginta solidis multatum esse videmus, praeslito antea iureiurando, se vitium in illa non inuenisse, sed amore solummodo aliam duxisse. Antiquam quoque Varnorum gentem, nationem barbaram, legimus, sponsas nisi ob stuprum non dimisisse. Conferatur HEINECCIUS in *elem. iur. Germ. L. 1. T. IX.* Quin etiam Germani crudeliter tractabant eos, qui alii desponsatam vel vitabant vel ducebant. Ita in *Capitul. Reg. Franc. L. 6. §. 47.* statuitur: *si quis puellam virginem desponsauerit, et inuenerit eam aliquis in ciuitate, et concubuerit cum ea, adducas utrosque ad portam ciuitatis illius, et lapidibus obruentur.* Qui vero in agro, id est, extra urbem inuenerat puellam, alii desponsatam, et cum ea concubuerat, ille solus subibat mortem. *Capitul. L. VI. c. 48.* Porro in *lege Alamann. T. 52.* de eo, qui sponsam alterius acceperat, ita sancitur: *si quis sponsam alterius contra legem acceperit, reddat eam, et cum ducentis solidis componat, si autem reddere noluerit, soluat eam cum quadringentis solidis, etiam si mortua fuerit sub eo.* Tantam etiam fuisse apud Germanos sponsalium obligationem ac efficaciam, ex TACIT. *c. 19.* probare volunt ENGAVIUS in *elem. iur. germ. ciu. L. II.* et HEINECCIUS in *elem. iur. germ. L. I. T. 9.* vt apud quosdam aut sponso fuisset nubendum aut nulli. Verum hanc interpretationem admitti non debere, neque aliud voluisse TACITVM, nisi hoc solum, fuisse apud quasdam Germanorum gentes secundas nuptias iniustas atque odiosas, RICCIUS in *spic. iur. germ. L. 2.* iam monuit, quae sententia dubio procul verior videtur. Sed haec ὡς ἐν παρῶδα.

Ex



Ex his igitur variis diuersisque legibus, quanta sponſalium olium fuerit, et adhuc ſit obligatio, abunde iam manifeſtum eſt. Vt igitur viam nitam perfequar, venio ad aliud, quod ad rem praefentem pertinet, leges etiam deſponſatos eo obligare, vt illud fugiant vitentque, quod ſuae promiſſioni eſt impedimento. *c. un. de ſponſ. in ſto.* cfr. BOEHMERVS in *prin. iur. can. L. 3. S. 2. T. 3. §. 371.* Inprimis autem, cum quaeuis conditio poſſibilis honeſta, licet non matrimonio, ſponſalibus tamen adici poſſit, nihil admittendum faciendumque eſt, quod, quo minus conditio iuſto ac opportuno tempore impleatur, impedire poſſit. Is enim, qui ſub conditione promiſit, curare etiam debet, vt conditio iuſto tempore exiſtat, et qui non curauerit, nihilominus manet obligatus. *L. 85. §. 7. D. de V. O.* Et, qui facere poſteſt, vt poſſit conditioni parere, iam poſſe videtur. *L. 174. D. de R. I.* Haec tamen de his tantum intelligi volumus, quae in poteſtate eius ſitae ſunt conditiones, in cuius gratiam adſcribuntur. Nam, ſi ex ſolo euentu pendeat, cum conditionis natura ea ſit, vt differat actum, neque ſinat, ea pendente, rem exiſtere, *arg. L. 213. D. de V. S.* et conditione exiſtente rata ac firma demum ſint ſponſalia, *L. II. §. 1. D. qui pot. in pign.* expectari prius debet a contrahentibus euentus, quam ad alia conuolent ſponſalia, ſiquidem, quamdiu ſpes, impletum iri conditionem, adefſt, ius, quod quaefitum eſt ex pacto ſponſalicio, alteri adimi nequit. Nam in perfidiae quoque poenam incurrit ille, qui, duabus fide de matrimonio data, ſpem alterius eludit. Quod quidem inter popularia vitia referendum eſt, in quae homines non raro incidunt, vt ideo triſtes ac graues ſaepe oriantur lites. Leges, cum Romanae, (ſi excipias id tempus, de quo ſupra ſcripſi,) tum patriae, eiſmodi homines valde deteſtantur, et, quia peſſimo ſimul peccant exemplo, graui eos afficiunt poena. CARPZOVIVS in *iurispr. conſiſt. L. 2. T. 4. def. 63.* erimen binorum ſponſalium atrox appellari et ad ſpecies bigamiae referri poſſe putat. Nota vero eſt legum ciuilium atrocitas, qua in eiſmodi homines vtuntur. Scilicet infamiae poena coercentur in *L. 1. in ſu. D. de his qui not. inf.* et iſti, qui pro iis, quos in poteſtate habent, bina conſtituunt ſponſalia, eodem modo plectuntur in *L. 13. §. 1. D. eod.* Eadem poena huius delicti rei puniuntur ex legibus noſtris patriis, nempe ex *lege nuptiali de anno 1624. cap. von Ehegel. §. wenn ſich jemand mehr ꝛc.* Praeterea in Saxonia arbitraria coercentur poena, et in reſtitutionem expenſarum occasione ſponſalium et litis ab altera parte erogatarum condenantur. cfr. BEYER *Addit. ad Carpz. L. 2. def.*



def. 64. Quam arbitriariam poenam legibus quoque Romanis contineri contendit CARPZOV. in *Pract. crim. P. 2. qu. 67. n. 13.* Sed

*Sunt delicta tamen, quibus ignouisse velimus.*

At enim vero in his tradendis obflare videtur auctoritas C. F. HOMMELII, (qui nunc est *év évγολος*) iudices quippe ab illo rigore infamiam infligendi dudum recessisse, flatuentis in *Épit. iur. sacr. P. 3. c. 7. Carpzo-vii* tempore, quo, quod ad hoc attinet, locum non inuenit illud Plautinum: (*Trin. IV. 3, 30.*)

*Mores leges perduxerunt iam in suam potestatem,*

hanc poenam adhuc fuisse irrogatam, ipse testatur CARPZOVIUS *loc. cit.* Quin ne ipse sibi Vir, post fata magnus, fatis constat, cum in *Rhapsod. obs. 210. R. 7.* omnem infamiam in iure Romano fundatam et deinde legibus prouincialibus confirmatam adhuc infligi posse contendat. Certe melius puto consultum reipublicae, si, missis Doctorum opinionibus, in hoc negotio seuerioribus legibus bene insisteretur, vt, qui inconstans sunt ac leuis animi, a fidei sponsaliciae violatione absterreantur.

Omnis vero ex rite initis sponsalibus nata obligatio tam firma est atque perfecta, vt renuens ad consummationem matrimonii quibusuis idoneis iuris remediis adigi possit et compelli. Quod vero de validis solummodo sponsalibus intelligimus, et de iis, in quibus, ob iustae causae defectum, leges repudium non concedunt, SENECA enim *de benef. L. 4. c. 35.* recte inquit: *tunc fidem fallam, tunc inconstantiae crimen audiam, si, cum omnia eadem sint, quae erant promittente me, non praestitero promissum.* Sumtibus etiam inanibus, vt VLPIANVS in *L. 1. D. de inoff. test.* loqui solet, se vexaret, qui ex illicitis vel non rite initis sponsalibus agere vellet. Aduersantur quidem huic opinioni, qua renuentem ad matrimonium cogi posse putandum est, Viri haud vulgatae doctrinae et laudis, inter quos in primis nominare licet BÖHMERYM in *I. E. P. L. 4. T. 1. §. 46 sqq.* et MEVIVM *P. VI. dec. 355.* Satis quidem speciosa et ad persuadendum fere apta sunt negantium argumenta, eaque ex legibus petita. Prouocant quippe ad *c. 2. 10. 17. X. de Spons.* ex quibus reum ad nuptias ineundas cogi non posse contendunt. Quodsi vero has leges paulo diligentiori ac adcuratori cogitatione apud me reuoluo, ve prior mihi videtur opinio, coactioni omnino locum dari. Neque vero hoc

hoc aduersatur rationi, quia omnino in renuentis est potestate, id praestandi, ad quod condemnatus est. Qui enim sponsalia celebrat, is factum promittit, et se ad faciendum obligat, non vero ad praestandum interesse. Aliud vero pro alio creditori inuito obrudi non potest. Et quomodo tandem matrimonium aestimari vere nummis potest? saepe hoc interesse in nihilum redigeretur, et ansam praeberet nimiae repudiandi licentiae. Deinde opinio, quam legitimam existimo, satis notioni perfectae obligationis congruere videtur. BÖHMERS quidem distingui vult inter coactionem absolutam et secundum quid talem. Illam in iure canonico prohiberi, hanc permitti contendit. Alii, ut CYPRAEVS in *tract. de iure conu.* discrimen statuunt inter sponsalia iureiurando corroborata et nuda, et ita, ut in illis prioribus coactio permessa sit, *c. 17. X. de spons.* interpretandum esse putant. Sed quomodo tandem his textibus haec interpretatio tribuenda est? A me igitur impetrare haud possum, ut illorum interpretandi rationem admittam. In his enim legibus coactio non plane reiicitur, sed solum ad executionem non facile descendendum esse iubetur. Ita enim INNOCENTIUS III. in *c. 2. X. de spons.* praecipit: *praeterea hi, qui de matrimonio contrahendo pure et sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, et omnibus modis inducendi, ut praesitam fidem obseruent. Si autem se ad inuicem admittere noluerint: ne forte deterius inde contingat, ut talem scilicet ducat, quam odio habet: videtur quod ad instar sororum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, et postea eandem sibi remittunt, hoc posse in patientia tolerari.* Iudici igitur amicae compositionis tractatio omnibus modis facienda iniungitur, et, cum proficuum sit, ut libera sint matrimonia, soleantque coacta tristes habere exitus *c. 17. X. de spons.* monere is iubetur renuentem, ut praesitam fidem obseruet, si concordia vero obtineri nequeat, vtrumque, ut fidem de matrimonio datam sibi remittant. Eadem placent DE ROHR *l. cit. §. 38.* quamobrem quoque in his scribit in primis officium Consistoriorum esse positum. Diferentius vero ALEXANDER III. in *c. 10. X. eod.* sancit, renuentem monendum, et, si ille non acquieuerit monitis, ecclesiastica censura compellendum esse, ut illam, quacum desponsatus est, uxorem ducat, et maritali pertractet affectione. Adde etiam *c. 17. X. de spons.* Vtitur igitur Pontifex verbis, primo, *monere*, deinde, *compelli et cogi*. Et haec pauca verba profecto totam litem faciunt, sicque

— — — — — mox certamina tanta pulueris exigui iactu compressa quiescunt.

Hinc, si quid video, coactio in his legibus haud prohibetur. Quamobrem displicet valde sententia BÖHMERI l. c. §. 54. qui coactionem pro iniusta habet, et matrimonium ita contractum pro nullo. Praebet nobis auctoritatem suam GROENEWEGEN l. c. ad L. 1. C. de Spons. sponsalia, dicens, firmitatem habere instar contractus bonae fidei, et ideo ad contractum sponsalium adimplendum, adeoque et uxorem ducendam inuitum teneri, et vel ipso carcere cogi posse condemnatum.

Quae iuris Canonici permissio, qua cogi ad matrimonium possunt desponsati, legibus quoque in Saxonia adoptata, et veluti aequior et bonae fidei magis apta, confirmata est. Nimirum in *Rescript. CHRISTIANI* II. de 10 April. de anno 1607. in C. I. *Eccl. Sax. p. 582.* perscriptum est, sponsum, qui, cum nuptias detrectaret, in carcerem coniectus erat, quodsi ne ita quidem ad fidem exsoluendam posset cogi, eductum e carcere, admonitum tamen prius a Superintendente de contumacia vitanda, per Diaconum, si sponte nondum implere promissa velit, copulandum, et si postea auferit, post institutum ab innocente coniuge processum desertionis vero redierit, e terris Saxonice praevia fustigatione eiiciendum esse. Ceterum hic conferendum est *Rescript. de 9 Ian. de anno 1628. in corp. iur. eccl. Sax. p. 629.* in quo definitur, quomodo per iudicis coactionem ad matrimonium ineundum adigi debeant contumaces. Eiusmodi nuptiarum contractarum exempla profert CARPZOVIVS in *iurispr. consil. L. 2. d. 133 et 134.* et multa alia BRÜCKNERVS in *decis. iur. matr. c. 1. n. 7. p. 46.* Conferri quoque potest BEYERVS in *addit. ad Carpzon. L. 2. def. 135.* Sententia in causa de sponsalibus publicis lata, et vires rei iudicatae nacta, etiam habet auctoritatem, ut, si pars nocens auferit vel moriatur, altera pars veri matrimonii effectum sortiatur. cfr. *Carpz. l. cit. L. 2. d. 136.* et *Hommel in epit. iur. sac. P. 3. c. 7.* Quia vero coactio est remedium valde odiosum, et concordiae, quam coniugium poseit, non aptum, iudex studere debet, ut alteram partem ad praestandam satisfactionem, alteram vero eo adducat, ut iuri suo ex sponsalibus quaesito renunciet, et satisfactione priuata, expensarumque restitutione contenta fidem remittat. cfr. CARPZOVIVS in *iur. consil. L. 2. d. 176.* Quodsi vero sponsa cedere nolit, suaeque iura omni modo persequi persequeret, nec abso-

absolute coactioni locus concedendus erit, sed confistorium, vbi reluctantis partis animum adeo exulceratum esse viderit, vt, nunquam concordiam inter eam et alteram, promissis stantem, coalituram, vel nuptias delictis occasionem daturas esse, verisimile sit, pro suo amplissimo arbitrio ac potestate sibi concessa, reum, sublati sponalibus, in congruam satisfactionem et in impensas condemnare potest. Cuius quoque rei exempla tradit Andr. BEYERVS in *addit. ad Carpzon. iur. consist. L. 2. d. 176 fqq.* et cfr. BÖHMERS in *princ. iur. can. L. 3. S. 2. T. 3. §. 371.* Et hoc rectissime; non minus enim peccat, (vñ MEVIUS ait) qui iungit haud iungendos, quam qui separat haud separandos. Quamobrem hodie etiam iudicia ecclesiastica solent, si alieniorem sponsum a sponsa, siue hanc ab illo deprehendant, neque alterum alteri possint conciliare, desponsatos disiungere sententia, ita tamen, vt condemnent reos reamue nuptias renuentem in aliquam pecuniae summam, quam, qui nuptias optat, pro eo, quod interest, nuptias non sequi, habeat. Ita, quam historiam mihi humanissime suppeditauit Praeses meus ex causa, quam patronus coram Confistorio Wittenbergensi defendit, cum D. quae sponsa R. erat, R. in adimplendis promissis cunctante, nuptias, actione instituta, peteret, R. etiam condemnaretur ad eas faciendas, leuerationis remedio ab R. eiusque parentibus interposito, quo luculenter docebant, matrimonium fore tristissimum, quod D. appetebat, mutata priori sententia venerabile iudicium in hunc modum, compensatis tamen, cum neutra pars temere litigaret, expensis, dixit contrariam: Nimmehro aus den Acten und der Partheyen rechtlichem Einbringen so viel zu befinden, daß Beklagter die Ehe mit der Klägerin zu vollziehen nicht schuldig, sondern es ist das unter ihnen vorgegangene Eheversprechen bewandten Umständen nach, und da eine unglückliche Ehe zu besorgen, hinwiederum zu cassiren und aufzuheben, auch beyden Theilen, sich anderweit christlich zu verloben, billig zu verstaten, jedoch sind zusehrerst Beklagter und Mitbeteiligte (*parentes R. intelliguntur*) der Klägerin zur Satisfaction 50 Rthlr. zu bezahlen verbunden. In qua quidem re simul considerandum inprimis puto verbum zusehrerst. Scilicet reus non potest alia contrahere sponsalia, nisi eam, in quam condemnatus est, pecuniam, actori soluat, quod iustissimum est in his causis, ne noua mora, qui renuebat nuptias, eludat innocentem aduersarium, cum damnorum petit restitutionem.

Haec igitur sunt, quae de fide sponfalium differere volui. Non quidem ignoro, tantum abesse, ut hanc materiam satis explicauerim, ut potius ingenue fatear, me eam nec copiose satis, nec docte proposuisse, illique suam, quam mereretur lucem, nondum esse accensam. At vero a Lyta nouo poteritne melior huius rei enucleatio expectari et exigi? Facilem igitur veniam consecuturum aequosque iudices me experturum esse confido, cum haec scripserim, non ut ingenii et eruditionis, quae minima est, laudem quaeram, sed imperitiae tantum, et pigritiae culpam apud prudentiores defugiam ac euitem. Quamobrem rogo, ut qui haec legant, meminerint

— — — — non aurea poma  
 Primo vere legi. — — — —

## MANTISSA.

- I. Vituperanda est Lucretia, quod cultro se ipsam occidit, et intelligentioribus risam praebet. Nam (Seneca Hippolyt. v. 732.) mens impudicam facere non casus solet.
- II. Vidui ac Viduae intra tempus luctus matrimonio quidem, non vero sponfalibus interdicuntur.
- III. Polygamia, qua vnus vir cum pluribus mulieribus, matrimonii vinculo sibi iunctis, viuut, iure naturae illicita non est.
- IV. Duplex matrimonii finis statuendus est, alter cuiusuis societatis communis, mutuum nempe vitae adiumentum; alter proprius, isque vel primarius, liberorum procreatio, vel secundarius, extinctio libidinis.
- V. Partus in matrimonio natus praesumitur legitimus. *In Anglia, licet per decennium absens fuerit maritus, legitimus habetur partus, modo ille non quatuor maria, quibus Britanni circumdantur, transierit.*
- VI. Tutior videtur sententia eorum, qui matrimonium cum defunctae vxoris forore in S. Scriptura dicunt esse prohibitum.
- VII. Pacta de futuris sponfalibus habent vim obligandi.
- VIII. Mos obtinuit apud Germanos sponfaliper emtionem venditionem celebrandi. *Sed notandum est, virgines Saxonicas semper maiori pretio a marito fuisse entas.*

Wittenberg, Diss., 1781-82




f

Sl.

✓ Dn 8







9252.

11

DE  
**FIDE SPONSALITIA**  
DISSERTATIO

1782 3

QVAM  
PRAESIDE  
**D. ERNESTO GODOFR. CHRISTIANO**  
**K L V E G E L**

IVR. SAX. P. P. O. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE  
INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLTATIS IVRIDICAE  
WITTENB. ASSESSORE

A. DIE XI. CAL. OCTOBR. CIDI~~DC~~CLXXXII.  
IN AVDITORIO MAIORI  
ERV~~DI~~TORVM CENSURAE SVBMITTIT

AVCTOR  
**TRAVGOTT FRIDERICVS GENSIKEN**  
HVBERTIVRGO-MISNICVS

WITTENBERGAE  
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII